

» possit, vel debeat, dictas poenas ad ipsos et eorum quemlibet
 » contravenientem in praemissis, tenore praesentium extenderentes
 » et locum habere declarantes, omni ambiguitate cessante. Et ni-
 » hilominus provocaciones et appellaciones, tam per Leonardum
 » ducem, rogatos, consilium et commune Venetiarum factas hu-
 » jusmodi quam per quoscumque alios praedictos pro tempore
 » faciendas, et inde secuta quaecumque (utpote contra Pii pra-
 » dictam ac praesentem constitutionem attentatas) nullas, prout
 » sunt, et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fuisse et pro
 » tempore fore, auctoritate, scientia et potestate similibus statuimus,
 » decernimus et declaramus ac pro priori cautela cassamus et an-
 » nullamus. Et ultra supradictas poenas, quas contra constitutionis
 » hujusmodi violatores in suo robore permanere decernimus, loca
 » quaecumque ad quae violatores ipsos declinare et in quibus
 » scienter stare permitti contigerit, ecclesiastico supponimus in-
 » terdicto; decernentes illud, quamdiu ipsi violatores inibi scienter
 » steterint, ut praefertur et per triduum post eorum inde disces-
 » sum, firmiter observari. Ac praesentes litteras in quinterno can-
 » cellariae etiam describi mandamus. Non obstantibus praemissis
 » ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque con-
 » trariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
 » paginam nostrae sanctionis, declarationis, mandati, statuti, de-
 » creti, voluntatis, extensionis, cassationis, annulationis et supposi-
 » tionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem
 » hoc attentare praesumpserit, indignationis omnipotentis Dei, ac
 » beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.
 » Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Do-
 » minicae millesimo quingentesimo nono, kalendis Julii, pontifica-
 » tus nostri anno sexto. »